



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Patres, Qvi A Phoca ad Carolum Magnum floruerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

constitutus est, postea in monasterium, tanquam in perpetuum carcerem damnatus, anno Domini 768.

Stephanus III. natione Siculus, a cetera prædecessoris Constantini solenniter abrogauit: Constantinopolitanam Synodum septimam, tanquam hæreticam, execratus est; statuarum cultum in ea reprobarum iterum approbavit; imagines adorandas esse docuit. Desiderium, Longobardorum Regem, regni sceptro priuari, à Cæsare Carolo Magno petiit.

Hadrianus I. patria Romanus, non minore diligentia Papale fastigium auxit, quam fecerunt antecessores.

PATRES, QUI A PHOCA
ad Carolum Magnum
floruerunt.

Isidorus, Hispalensis Episcopus, scripsit plurima præclara opuscula Philologica, Historica, & Theologica. Mortuus creditur sub Heraclio.

Beda venerabilis, presbyter in Anglia, scripsit multa, quæ octo tomis comprehenduntur. Obiit anno Domini 734. ætatis suæ 72.

Iohannes Damascenus, æqualis fuit Bedæ, & ut hic Occidentem, ita ille Orientem illustrauit. Scripsit aduersus Leonem Isaurum pro defensione imaginum. Item libros quatuor de Orthodoxa fide, in quibus ipse primus vniuersam theologiam methodo aliqua comprehendere est aggressus.

gressus, quod imitatus est longo post tempore Lombardus. Claruit sub Leone Isauro, & Constantino Copronymo, circiter annum Domini. 730. sub Irene non amplius in viuis fuit.

HÆRETICI PRÆCIPVI.

Monothelitæ, à dogmate sic vocati, ex Apollinaristarum & Eutylianorum fœcibus deriuantur. Eorum author primus Cyrus, Alexandrinus Episcopus: patroni autem Sergius Constantinopolitanus Patriarcha, & Macarius, sub Heraclio Imp. & Bonifacio I. V. ac V. Pontif. circa annum à Christo passo 579. innotuerunt. Damnati sunt in Synodo Constantinopolitana tertia, anno Christi 680.

Papismus tandem exortus est, qui superiores omnes hæreses partim vt alueus recepit, partim vt mare absorpsit; alieno quidem nomine, sed tamen earum dogmate retento & confirmato. In neruum autem erupit hæc Ecclesiæ vniuersæ internecio, circa annum Christi 606. quando Phocas Imp. Bonifacio III. Pontifici Romano primatum super omnes Ecclesias concessit.

Mahumetismus Papismum secutus est proxime. Nam anno 12. Heraclii Imperatoris, sub extremo pontificatu Bonifacii V. circa annum à Christo passo 589. nata est primum hæc mundi lues, & hæresis plusquam blasphema, vel potius hæresiconlacuna. Totum autem Orientem & Meridiem celerrime occupauit; quemadmodum Papismus totum Occidentem & Septentrionem. Et si vero aliquæ in iis locis sunt Ecclesiæ: tñ q̄ misera sit illarum conditio, & q̄ deprauata sit doctrinæ

nequa